



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 102. Thomæ Campegi obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1564.

randum, non habeat. Præterea idem  
Scriptor tres composuit Dialogos deo-  
ratione, jejunio, & Eleemosyna, quos  
Dianæ Pictaviensi Valentinæ Ducissæ  
nuncupabat: scripsit etiam de Prædeter-  
minatione dialogum, duosque alios de  
Purgatorio tractatus Romæ Anno mil-  
lesimo quingentesimo quinquagesimo  
septimo impressos præter quoddam con-  
siliium, quod circa matrimonium dabat,  
atque anno Christi millesimo quinger-  
tesimo quinquagesimo secundo typis ex-  
cudebatur. Denique posteris quasdam  
juris decisiones reliquit, mortuusque  
est Neapoli Anno Domini millesimo  
quingentesimo sexagesimo quarto. Ce-  
terum hunc Auctorem in Patrum, ac  
Theologorum Doctrina versatissimum  
fuisse apparet, quamvis autem in suis dia-  
logis dictione simplici, ac minus fucata  
utatur, argumentum tamen de gratia, &  
libero arbitrio cum magna subtilitate  
pertractat.

## §. CII.

*Thomæ Campegii obitus.*

*Bumald.*  
*Bibl. Bonon.*  
*Trupin Bibl.*  
*des Aut.*  
*Eccl. t. 16.*  
*pag. 73.*

**D**ie undecima Januarii ejusdem Anni  
Thomas Campegius, qui ejusdem  
nominis Cardinalem Fratrem habuit,  
Romæ anno ætatis suæ sexagesimo  
quarto naturæ debitum solvit. Is Bo-  
noniæ in Italia natus celebris cujusdam  
Juris-

Jurisconsulti Filius Christi Ecclesiam defendendam suscepit, atque in Romana curia variis dignitatibus auctus est: nam præprimis a Leone X. unacum Cardinale Fratre suo Parmensem, ac Placentinam urbem regere iussus, & cedente Cardinale Feltrensis Episcopus renunciatus est: anno autem Salutis nostræ millesimo quingentesimo quadragésimo WORMATIAM ad comitia, & postea ad Synodum Tridentinam a Paulo III. missus fuit, ubi inter tres Episcopos, qui Synodi initio intererant, primus advenerat, cunctisque sessionibus sub ejusdem Pontificis regimine celebratis interfuit. Porro ex ingenii ejus monumentis, quæ posteris reliquit, præcipuum est illud de auctoritate Conciliorum, quod Pio IV. nuncupatum Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo sexagesimo primo Venetis literis excusum prodiit. In eo præprimis ejusmodi Concilia convocandi causas recenset, eaque dicit necessaria ad hæresum extirpationem, hæreticorum condemnationem, atque ad Ecclesiæ reformationem, faciendamque circa Ecclesiasticorum, ac Laicorum mores correctionem, necnon schismatis extinctionem, ubi duo a diversis factionibus electi se tanquam summos Pontifices gerunt: insuper conciliorum convocationem,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1564.

Y 5

Sæcul. XVI. tionem requiri putabat ad pacem in- & E  
 A C. 1564. ter Christianos Principes stabiliendam, Scri  
 necnon cruciatus contra infideles infi- qua  
 tuendas, amovendumque, scandalum, hinc  
 si Papa universæ Ecclesiæ offensivum voc  
 esset. Hic idem Scriptor quamvis circa & a  
 Conciliorum Generalium auctoritatem Post  
 verbis valde obscuris mentem suam bus  
 explicet, nihilominus deprehenditur, con  
 quod Synodos Pontificibus inferiores esse atq  
 affirmet, dum minus vere asserit, quod reli  
 Concilia Pontifici nec legem imponere, rec  
 nec eum exauctorare, sed duntaxat ei ten  
 resistere, ac præcipere valeant, ne ei- que  
 dem obediatur in iis rebus, quæ bus  
 contra Ecclesiæ bonum statueret: insuper nol  
 affirmat, quod soli Papæ Concilia in  
 vocandi jus competat, quam etiam Pro  
 sententiam istis, quæ sequuntur, Pa  
 bus confirmat. I. In lege Veteri quem- ma  
 cunque conventum absque magni Pra  
 sacerdotis auctoritate celebrare no  
 sum non erat. II. Sicut penes Sup- bit  
 riorem in quadam Ecclesia est ad  
 convocare Capitulum, & Metropolitano ad  
 competit jus Provinciæ suæ Episcopos di  
 congregandi, ita etiam est penes illum, &  
 qui supremam in Ecclesia habet aucto- bu  
 ritatem, universum Ecclesiæ conven- do  
 tum indicere. III. Cum ad ejusmodi ac  
 Concilium Patriarchas, Episcopos, Cæ- tif  
 saream, ac Reges convocare oporteat, ibi  
 & Pon-

& Pontifex solus in hos, prout hic Scriptor ait, jurisdictionem habeat in iis, quæ fidem, & Religionem concernunt, hinc Cæsares plura quidem Concilia convocarunt, sed duntaxat ex consensu, & auctoritate summorum Pontificum. Postea idem Scriptor cunctos, in quibus Cardinales ejusmodi Concilium convocare possent, eventus recenset, atque id fieri posse dicit, si Papa hæresi notatus post plures monitiones id recusaret, aut si duo de Pontificatu contentendentes existerent, eorumque jus æque dubium foret: si vero in hisce casibus Cardinales Synodum convocare nollent, tunc Campegius censet, quod in hoc eventu Cæsar tanquam Ecclesiæ Protector Concilium indicere, necnon Papæ, si is eo venire recusaret, per mandati formam id præcipere valeret. Præterea Campegius, quin Papa Synodum transferre possit, nullatenus dubitat, necessarium tamen putat, ut ad hoc urgentes habeat rationes: porro ad Concilia vocandos esse judicat Cardinales, Abbates, Episcopos electos, & non consecratos, ac Episcopos in partibus, imo etiam Parochos, & Sacerdotes: denique etiam hæreticos esse accersendos ait, ac requiri dicit, ut Pontifex ipse, vel saltem per suos Legatos ibidem præsit: dum autem Campegius

fermo-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1564.

Sæcul. XVI. A.C. 1564. fermonem inspergit de loci prærogativa Franciæ Regi primam sedem deberi inquit præ Romanorum Rege, si hic non sit aggregatus Imperio, nec designatus Cæsaris Successor.

Postmodum Campegius in Synodis procedendi modum examinat, ac suffragia per Nationes ferri, omnino rejicit, cur vero id in Concilio Constantiensi permissum fuerit, ideo factum inquit, quia Joannes XXIII. sibi adherentes habuit omnes Italiæ Episcopos, qui suo numero ferme omnes reliquos aliarum Nationum Præsules superabant: insuper differit de altero procedendi modo, qui per *deputationes*, vel *Commissiones* fit, prouti in Basileensi, & Lateranensi Conciliis factum legitur: præterea discutit, utrum deliberationes a fidei dogmatibus, anve ab illis articulis, qui mores concernunt, inchoandæ sint, atque res fidei esse præmittendas censet, quam in rem plures allegat rationes, approbatque etiam modum decisiones Pontificis nomine, dum præsens est, in Synodis promulgandi: si vero Papa non intersit, eas nomine Synodi tanquam a Papa approbatas esse publicandas affirmat: fatetur ecquidem, quod Synodus immediate suam auctoritatem a Christo Domino tunc habeat, quando ei Pontifex non inter-

interest, eam tamen Concilium reci- Sæcul. XVI.  
piat a summo Pontifice, qui ei vim, A.C. 1564.  
atque auctoritatem tribuit. His prola-  
tis argumenta, quæ huic sententiæ op-  
poni possent, diluere nititur, atque Sy-  
nodi auctoritatem Pontificiæ subjicit,  
necnon Synodi infallibilitatem a sum-  
mo Pontifice dependere asserit, aliunde  
vero Synodum duntaxat infallibilem in  
fidei decisionibus agnoscit, si hæ una-  
nimi consensu, junctaque cum Pontifice  
opera sancitæ fuerunt.

Insuper idem Scriptor plures adhuc  
elucubravit tractatus Anno millesimo  
quingentesimo trigesimo quinto Vene-  
tiis editos, eorumque primus est de  
auctoritate, & potestate Pontificis: al-  
ter autem agit de officio Principum  
Christianorum. In tertio ostendit, quod Sa-  
cerdotes bona profana possidere possint,  
teneantur tamen fugere nimiam cupi-  
ditatem, immoderatumque desiderium  
divitias saluti adversas aucupandi.  
Quarto tractatu agit de Pastorum resi-  
dentia, ubi negat, quod proprie de-  
scendat de jure divino, seu Dei lege  
præcepta sit, quamvis eadem illi con-  
sona appellari possit, cum Spiritu sancto  
inspirante præcipiatur, atque existat  
intra ordinem, qui hominem perducit  
ad Deum. Quinto sermonem instituit  
de pluribus beneficiis simul possidendis,  
quem

Sæcul. XVI.  
A.C. 1564.

quem abufum vehementer condemnat, casus tamen quosdam recenset, in quibus id permitti poffet, dummodo non fint beneficia, quibus annexa est cura animarum. In sexto agit de Simonia, quam jure divino esse prohibitam, comprobatur. Septimo tangit Annatas, quarum originem revocat ad Viennense Concilium, proin ad annum Domini millesimum trecentefimum undecimum. In octavo discutit beneficiorum reservationes, quas nonnifi trecentis quinquaginta abhinc annis ufitatae fuiffe censet, afferitque, quod Clemens III. Papa Anno Christi millesimo centesimo octogefimo octavo ad Pontificatus apicem euectus Constitutionem ediderit, in qua summo Pontifici beneficia in Curia Romana vacantia reservabat, hasque reservationes esse permiffas probatur Campegius, requiri tamen ait, ut Pontifices illis moderate utantur, ac præcipue ab illis abftineant mandatis, quibus sancitum, ut unum, duo, tria, aut alia ejusmodi numeri beneficia non modo in Diœcesi, sed etiam in quadam Provincia, vel Regno vacatura conferantur, ideo hic fcriptor monebat, quatenus Papa non permittat, ut per has reservationes plura beneficia, quorum unum alteri repugnat, obtineantur.

Cetera



Cetera Campegi opera comple-  
 stuntur adhuc duos libellos separatos, Sæcul. XVI.  
A.C. 1564.  
 qui de Beneficiorum pensionibus, re-  
 servationibus fructuum, regressibus,  
 commendis, Ecclesiarum unionibus, &  
 Coadjutoriis agunt: reliqui autem tra-  
 ctatus concernunt forum pœnitentiæ,  
 ubi differit de calibus Pontifici, aut E-  
 piscopo reservatis, harumque reserva-  
 tionum utilitatem probare nititur: in-  
 super scripsit alium quoque tractatum  
 de exemptionibus, ad quas violentias  
 ac Episcoporum negligentias ansam  
 præbuisse contendit. Exstat quoque  
 illius tractatus de excommunicatione,  
 ubi asserit, quod pro hæresis, vel alio  
 notorio crimine hanc pœnam infligendi  
 potestas Ecclesiæ data fuerit, interim  
 tamen monet, ut non sine magna mo-  
 deratione, vel ob leves causas adhi-  
 beat: præterea plura profert exem-  
 pla, quibus locorum interdicta vindi-  
 cat, specialem vero tractatum conscri-  
 psit de festorum observantia. Porro in  
 alio tractatu hanc agitatur quæstionem,  
 utrum Episcopus a schismaticis conse-  
 cratus, sit verus Episcopus, ac legitime  
 etiam sacros Ordines conferre valeat?  
 ubi affirmat, quod talis id facere possit.  
 Denique postremo tractatu ventilatur  
 hanc quæstionem, an Papa Matri-  
 monium inter hæreticos contractum  
 dissol-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1564.

dissolvere queat? ubi præmissis quibusdam principiis infert, quod Pontifex ejusmodi connubia dissolvere nequeat, possit tamen declarare, quod ejusmodi homines ad ineunda matrimonia inhabiles existant, adeo, ut postea eorum conjugium redderetur nullum. Eidem quoque Auctori adscribitur brevis quidam tractatus, quo legem, quæ Clericos sacris Ordinibus initiatos ad cœlibatum adstringit, non esse abolendam probat. Ceterum Campegius cuncta argumenta succincte, sed admodum perspicue, ac cum minori, quam ex Ultramontanis Doctoribus potissimi, haustæ opinionis pertinacia pertractat, ac se in Juris Canonici peritia admodum clarum ostendit.

§. CIII.

*Friderici Staphyli extrema.*

Sub idem tempus Ecclesia deplorabat jacturam Friderici Staphyli, quem veritatis amor a Secta Lutheri, cui olim amicitia junctus erat, jam dudum abstraxerat. Primam is lucem aspexerat Osnabrugi in Westphalia, ac postea Universitatem Ingolstadiensem regebat: porro idem considerans Osiandri arrogantiam, necnon imbecillitatem illarum rationum, quas confessionis Augustanæ ab eo impugnatæ Sectatores ei opposue-

Boffuet hist.  
variat. tom.  
x. l. 8. n. 35.

Chitæus in  
Saxon. l. 17.  
Osiand. p.  
144.